

The Digital *Viridarium consolationis* Project

Pars 5: De aliis rebus

Caput 17: De laude superne felicitatis et premio eterno (1)

Omnis humana eloquentia deficit in laude superne civitatis et premio eterno in loquendo. [fons nondum repertus]

Omnisque intellectus in cogitando contabescit.

Nam secundum quod dicit Gregorius:

Que autem lingua dicere valet,
aut quis intellectus capere sufficit illa superne civitatis quanta sint gaudia,
angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriam conditoris contemplari,
presentem dei vultum cernere, incircumspectum lumen videre,
nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuo munere letari?

Quae autem lingua dicere,
uel quis intellectus capere sufficit illa supernae ciuitatis quanta sint gaudia,
angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriae conditoris assistere,
praesentem Dei vultum cernere, incircumspectum lumen uidere,
nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuae munere laetari?

Gregorius Magnus, *Homiliae in euangelia*, 37.1 (CCSL 141, R. Étaix ed., p.348, ll.7-12).